

ut mortem experiretur, ut à morte resuscitaretur. Si nunquam eiusmodi fu-  
 it causa angelorum corporandorum, habes causam cur non nascendo ac-  
 ceperint carnem. Non uenerant mori, ideo nec nasci. At uero CHRISTVS  
 mori missus, nasci quoq; necessario habuit, ut mori posset. Non enim mori  
solet, nisi quod nascitur. Mutuū debitum est inter se, natiuitati cū mori-  
 talitate. Forma moriendi, causa nascendi est. Si propter id quod moritur  
 mortuus est CHRISTVS, id autem moritur quod & nascitur: consequens  
 autem erat, imò præcedens, ut æque nasceretur propter id quod nascitur:  
 quia propter id ipsum mori habebat. Quod quia id quod nascitur, mori-  
 tur: non competebat non nasci, pro quo mori competebat? Atqui tunc  
 quoque inter illos angelos ipse dominus apparuit Abrahæ sine natiuita-  
te, cum carne scilicet, pro eadem causæ diuersitate. Sed uos hoc non recipi-  
 tis, non eum CHRISTVM recipientes: quia iam tunc & adloqui, & libera-  
 re, & iudicare humanum genus ediscebat in carnis habitu nõ natæ adhuc  
 quia nondum morituræ, nisi prius & natiuitas eius & mortalitas adnūcia-  
 rentur. Igitur probent angelos illos de syderibus accepisse substantiam car-  
 nis: si non probant, quia nec scriptum est, nec CHRISTI caro inde erit, cui  
 angelorum accommodant exemplum. Constat angelos carnem non pro-  
priam gestasse, utputa natura substantiæ spiritualis: et si corporis alicuius,  
sui tamen generis, in carnem autem humanam transfigurabiles ad tēpus,  
ut uideri & congregari cum hominibus possent. Igitur cum relatum non sit,  
 unde sumpserint carnem, relinquitur intellectui nostro, non dubitare, hoc  
 esse proprium angelicæ potestatis ex nulla materia corpus sibi sumere: quã  
to magis inquis ex aliqua certum est: sed nihil de eo constat, quia sci-  
ptura non exhibet. Caterum quia ualent facere semetipsos quod natura  
 non sunt, cur non ualeant & ex nulla substantiam facere? si fiunt quod non  
 sunt, cur non ex eo fiant quod non est? Quod autem non est, cum sit, ex ni-  
 hilo est. Propterea nec requiritur, nec ostenditur, quid postea factū sit cor-  
 poribus illorum. Quod de nihilo fuit, nihil factū est. Possunt nihil ipsum  
 conuertere in carnem, qui semetipsos potuerunt conuertere in carnē. Plus  
 est naturam demutare, quàm facere materiam. Sed si de materia necesse  
 fuisset angelos sumpsisse carnem, credibilius utique est de terrena mate-  
 ria, quàm de ullo genere cœlestium substantiarum. Cum adeo terrenæ  
 qualitatis extiterit, ut terrenis pabulis pasta sit. Nunc sic quoque syde-  
 rea \* eadem modo terrenis pabulis pasta, quando terrena non esset, quo  
 terrena cœlestibus pasta est, quando cœlestis non esset. Legimus enim,  
 manna esui populo fuisse: Panem, inquit, angelorum edit homo. Non  
 tamen infringitur semel separata conditio dominicæ carnis, ex causa alte-  
rius dispositionis. Homo uere futurus usque ad mortem, eam carnem  
 oportebat, indueret: cuius est mors. Eam porrò carnem, cuius est mors,  
 natiuitas antecedit. Sed quotiens de natiuitate contenditur, omnes

*Causam reddit  
sue rationi*

*Non probant angelos:  
sumpsisse carnem de syde-  
ribus, secundum constellatio-  
nes, oia corpora fiunt*

*o ho oia hnt cum*

*9 ordinem*

*Als\* eodem.*